



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Laudemio. Consilium CCCIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

CONSILIVM CCCIX.

VIDE TUR primo conspectu probabilitatem habere causa Dominorum Decani & Capituli Collegiate Ecclesie S. Vincentij Sonnigienis Actorum, adversus Capitulum Cathedralis Ecclesie Cameracensis, de & super iure solvendi, exigendi, recipiendi que quadragesimum denarium ex relevio bonorum censualem moventium sub Curia de Buissingen ad dictos Actores pertinente: ex eo praesertim, quod aliquot literis per eos exhibitis videantur, in bonis censuibus sub eorum curia moventibus, & ad dictum Capitulum Cameracense pertinentibus, huiusmodi jus aliquoties recepisse; deinde quod eodem iure uti sint in alijs consimilibus Ecclesiasticis bonis. Unde etiam factum arbitramur, quod Domini Iudices in Halzenberge secundum Actores ius dicendo, condemnaverint Reos ad exsolutionem quadragesimi denarii vera estimationis 33. bonuartorum & unius journalis, quae iure census à dicto Capitulo Sonnigienensi tenent.

Verum re diligentius perspecta apparet, non admodum equam esse eorum sententiam, & ideo per Ampliss. Dominos Curiae feudalis Ducatus Brabantiae revocari posse; ex causis & rationibus infra scriptis. Quarum prima & praecipua consistit in defectu probationis causae & originis iuris, unde intentionis suae fundamentum profuerunt. Cum enim hoc ius percipiendi laudemia, ut vocant, totum in consuetudine consistat, quantum scilicet sit, & quo casu Domino censuali debeat, argum. l. Domini prediorum & ibi Ioan. de Platea c. De agris. & censu lib. 11. Barr. Chassan. in consuetud. Burgund. §. 11. in princ. nec iure scripto certa forma sit illi praescripta, nisi quod in alienationibus fundorum emphyteuticorum, cum quibus censuales per omnia non conveniunt, lafon in l. 1. nu. 48. c. de iure emphyteut. amplius quinquagesima parte pretij seu estimationis domino alienationem admittenti solvendum non sit; eaque consuetudo per loca variet; usque adeo ut alicubi quinta pars verae estimationis solvatur, Boer in consuet. Bituricens. tit. de consuet. feud. & censu §. 4. alibi duodecima, Molin. in consuetud. Paris. tit. 1. §. 23. nec cessu fuit Actoribus pro obtinenda victoria consuetudinem petendi exigendi que quadragesimam partem verae estimationis pro renovatione hominij seu investitura & relevij de bonis censuibus Reorum probare: nam cum facti sit, sine evidenti probatione praesumi nequit, c. 1. de constitut. Barr. in l. Consuetudinis c. Quae sit longa consuet. Et tanto minus, quod huiusmodi relevia pecuniariaeque onera, sint odiosa; ideoque merito restringenda. Ut nec sunt admittenda extensiones aut petitiones in alio casu, quam vel statuto sit expressum, vel consuetudine indubitata introductum, And. de Isern. mc. 1. §. sed etiam res per quos fiat investit. & in c. 1. §. si mulier in petendis de capit. conradi in usibus feud. Quod autem plena exactaque huius consuetudinis probatio secundum iuris praescriptum in actis causae nusquam inveniat, ex eo fit manifestum, quod Actores velut regulam generalem constituentes ponant, in renovat.

De Laudemio.

S V M M A R I U M.

Laudemia ex alienatione fundi censualis, non ex morte domini debent.

1. Laudemiorum perceptio in consuetudine consistit.
2. Emphyteuticorum feudorum alienatio quinquagesimam domino praestatur.
3. Relevia & laudemia onerosa sunt.
4. Exemplum iudicandum non est.
5. Laudemia ex morte praestanda non sunt.
6. Consuetudo contra Ecclesiasticos non valet.
7. Relevium species acquisitionis non est.
8. Praestatio annua non continua non obligat.
9. Solutiones disformes obligationem in futurum imminuunt.
10. Relevium facienti litera tradenda sunt non domino feudi.
11. Mandatum non praesumitur.

in renovatione relevij seu investituræ feudorum ad Ecclesias pertinentium, etiam extra casum alienationis, debet quadragesimam partem veræ æstimationis, idque ex generali consuetudine Brabantia seu loci de Busslingen; nullam prorsus illius adferrentes probationem, neque in genere, neque in specie. De defectu probationis generalis ejusmodi & in universum parentis consuetudinis, satis ex actis constat: quia nemo omnium testium de eo interrogatus est: & non tantum non reperitur confessio Reorum, sed pertinax ubique est illorum negatio: imò ex adverso duobus instrumentis duarum sententiarum, quæ in Consilio Brabantia non ita pridem latae fuerunt, falsam esse regulam Rei ostenderunt.† Etsi vero ex exemplis non sit omnino judicandum, *l. Nemo C. de senten. & interloc. om. iud.* neque cogatur Iudex sequi sententias inter alios in simili negotio latus; quin tamen possit, dubium non est, *Satis en d. l. Nemo*; in hoc præsertim & simili articulo, ubi ad consuetudinis substantiam inter cetera requiritur, ut in iudicio contradictio sæpius obtinuerit, *l. Cum de consuetudine v. De legib.* Sic ut, si illarum duarum sententiarum exempla non sufficiant pro iure Reorum asserendo (in quo præcipue hic laborandum non est) sufficiant tamen pro evertenda generalis consuetudinis allegatione, quæ per Actores nullis huiusmodi præjudicijs seu sententijs firmata est. Per speciem sane etsi aliquid probasse videantur Actores, quatenus probarunt se ab Ecclesia Hallensi, itemque Busslingensi ratione aliquot feudorum pro renovatione seu relevio quadragesimam percipisse; id tamen non satis arguit & convincit ius universale quoad aliarum Ecclesiarum bona: non tantum ex eo, quod res inter alios acta alijs præjudicium non adferat, *l. Sept. de re iudic.* sed ex eo evidentius, quod eorum feudorum ea potuit esse lex & conditio. Quod ne vanæ conjecturæ videatur dici, satis deprehenditur ex rationibus huiusmodi Man villici dictorum Actorum de anno 1472 per Actores exhibitis in verificationem articulorum suorum. Nam in ijs Ecclesia Hallensis ad emptionem 15. mensuram frumenti super centis fondis sub dicta Actorum curia resortientibus; non aliter admittitur, quam sub ea conditione expressim agiecta, ut in casu relevij seu renovationis, solvantur dimidia laudemia seu quadragesimus denarius. Ex eo namque deprehenditur, generalem eam non esse omnium fundorum sui reddituum censualium conditionem, sed expressa Domini admittentis alienatione, & acquirentis conventionem ita convenisse. Cum itaque primam originem acquisitionis horum feudorum Rei protulerint de data anni 1404. & ex literis deluper confectis, & ab Actoribus seu eorum Villico & mansionarijs concessis constet, Reos acquisivisse hæc bona à manu laica, nullâ simili conditione adiectâ; addita etiâ declaratione, quod omnia facta & adhibita sint, quæ de iure fieri debent, reservato Domino fundi tantum suo censu; constet quoque Reos nullo alio iure teneri, quam quo ex sua generali natura affecta fuerant bona ante eam alienationem acquisitionemque, hoc est ut annuus census solva-

tur, & in solo casu alienationis solvantur consueta laudemia, vicefimus scilicet denarius veræ æstimationis; non etiam ut quotiescunque renovatur investitura, seu relevium per mortem releviatoris, solvatur quadragesima æstimationis (expressum enim facit, ut sicut tacitum, *l. Cum ex filo §. fin. & ibi Bart. De vulg. & pupil.*) * & exceptio seu reservatio unius, aliorum exclusionem separationemque aut saltem omissionem inducit, *l. Quæstum §. idem respondit velf. Nam qui De fundo instructo leg.* in ijs præsertim, quæ odiosa exorbitantiaque sunt, & ius Ecclesiarum immutuant seu constringunt; latissimæ sit in re præsertim, si Rei non negent hos fundos esse apud se eodem iure & onere, quo erant apud auctores suos: cum quo onere ut transire debeant, *Chassan. in d. §. 11. nu. 9.* ita quoque illis non expresse consentientibus, cum maiore onere minimè transferri oportebat, *l. Qui in us de reg. iur. c. Ad audientiam De decimis.*† Et cum per hanc consuetudinem longè fiat deterior conditio Ecclesiasticorum, qui laicis vel superiores vel pares esse debent, arg. *l. Deo nobis C. de Episc. & cler. Notatur in authent. Ingressi C. de sacros. eccl. toleranda non est, aut præscriptione, nisi quæ omnem hominum memoriam excedat, confirmanda, c. 1. de prescrip. lib. 6.* Est enim huic, ut diximus, præscriptioni contrarium ius commune consuetudinarium, quo laudemia debentur à laicis in casu alienationis tantum. Quomodo enim non erit Ecclesiæ conditio durior, si moriente quodcumque Releviatore, quem constitui oportet, solvere debeat laudemia, quæ laicus in solo alienationis casu solvit? Cum id frequentissimè, & in uno anno sæpius etiam contingere possit, hoc in bene constituta & opulenta familia vix umquam. Cum ergo laudemia tantum debeantur in Brabantia tunc cum alienatur res censualis; non debet in casu solius renovationis & relevij idem constitui. * Relevium enim non tam est nova acquisitio ex præcedente aliqua alienatione quam continuatio juris semel acquisiti, arg. *l. 1. c. de imponen. luerat. de script. lib. 10.* Id quod longè liberius dicerelicet, ob generalem consuetudinem, quæ in Brabantia viget, & quam Amplissimi Domini velut notoriam & indubitatam huic causæ applicare poterunt, quod in alienationibus in manum mortuam seu Ecclesiam, dominis feudorum solvantur duplicia laudemia, pro quadam recompensa amittendæ occasionis percipiendorum laudemiorum in posterum: quæ consuetudo non permittit aliam, quam Actores proponunt: velut ei concursu repugnantem, aut illam non compatiensem. Solutiones verò, quas Actores improbationem juris huius quadragesimæ adferunt, neque admodum multæ sunt; utpote quatuor tantum: neque certæ & ejusdem generis. Quod sit, ut ex paucorum annorum præstationibus hic nihil constitui possit in futurum, *l. Si certis annis & ibi DD. C. De pat. ** tantòque minus, quod non continuatur per singulos annos, sed interpolatur ac discontinuatur fuerint, atque ideo ne longissimi quidem temporis præscriptione accedente, ad ius aliquod acquirendum in futurum

futurum valere possunt, l. 1. §. ult. De aqua plu. arcen. l. Hoc iure De aqua quorid. & affi. & ibi DD. nisi temporis, quo praestari ceperunt, nulla extet memoria. Iam vero cum in contrarium extet memoria per dictas acquisitionis literas, Dominos Reos in acquisitione & prima eorum investitura de his fundis non solvisse istam quadragesimam sed sub sola conditione annui censu admissos fuisse ab Actoribus ad releuium horum fundorum: non est, quod ex temporis cursu, & per paucas aliquot discontinuas solutiones aduersus Reos perpetuum ius statuatur: ius, inquam, quadragesimae in casum mortis Releuatoris.

Alterum quoque non minus ad exclusionem Actorum habet momentum. Nam ex ipsis instrumentis Actorum patet, Actores non solum non perceperunt unquam quadragesimam aut pro quadragesima certi aliquid uniforme; sed praeterea quod perceperunt, alio iure perceptum esse iure scilicet vicissimae. Ita ut ex dissimilibus solutionibus, & dissimili quoque solvendi causa, certum aliquod ius constitui nequeat, neque quoad causam, neque quoad solutionem: variatio enim certitudinis obstat, l. 3. §. idem Divus De testib. Sic quod cum de variatione constet, & vnius causa praetextus non adiuvetur immemoriali aliquo tempore; & interruptio conjunctioni extremorum obstat, l. Naturae De usurariis. non videatur Actores firmum, fixum, aut stabile aliquod ius habere quoad quadragesimi denarii exactionem. Praeterea cum ex istis instrumentis per Actores exhibitis, non possit constare, Reos ad causam quadragesimi denarii nunc postremo amplius solvisse quam bis; fieri non potest, ut ex duobus dumtaxat solutionibus valide pretendere possint possessionem aliquam; multo minus ius aliquod reale quoad quadragesimum denarium, DD. in d. l. Si certis annis. Quo laudem in instrumentis per Actores exhibitis videantur Reorum praedecessores satis agnovisse huiusmodi ius quadragesimae, nihil hic officit. Nam in primis per Reos negantur omnia huiusmodi instrumenta: ideoque dum per Actores aliunde fides eorum comprobata non est nihil ipsis prosunt. Et quamvis eorundem instrumentorum quaedam videantur esse publica; non habent tamen ex se veri praesumptionem; ob id, quod a Villico & Mansionariis Actorum sint confecta praeter morem solutum. Non enim domino releuium admittenti solent dari literae, sed Releuatori; nisi rarissime, dum forte metuit ne ius censuale resolvatur, l. Plures apochis & ibi DD. C. de fide instrum. Sic ergo ex duobus capitibus suspitione laborant literae. Primum, quod ab ipsis confecta, qui Actores ipsos referunt; deinde quod contra morem solutum, argumen. eorum quae tradit Bald. & Alber. in l. penul. C. de evict. Et ut nihil sit, quod illis intrumentis obijci possit, alijque quae a Capitulo Cameracensi facta & scripta dicuntur: quia tamen non constat ex totius Capituli consensu & mandato solemniter interposito gesta & tractata fuisse, non est metuendum perpetuum praedictum, c. fin. de reb. eccl. non alien. praesertim successibus, c. de cetero c. veniens de transact. Bald. in l. C. si ex fals. instr. Alexand. in l. Sciendum de verb. Conf. Wamcl. Tom II.

oblig. §. de quo consensu vel mandato praeterquam quod non possit assumi praesumptio, ne in antiquis quidem, ubi de magno praedictio agitur, constat ex ipsis literis, quae a Capitulo scriptae dicuntur, non hoc fuisse mandatum, ut missi ad Capitulum Sonngienae agnoscerent quadragesimum denarium, sed ut Actoribus, aequabili concordia inita, pro iure releuij solverent moderatam aliquam summam semel. Expressio enim unius, ut diximus, aliorum exclusionem continet. Et sic unius aut alterius Canonici recognitio, aut praemissio, non debet toti aut universo Capitulo nocere. Vnde apparet Actores non recte persistere in petitione quadragesimi denarii; & solutiones allegatas nihil proficere: quia neque secundum eas, neque pro eadem quantitate, quae prius soluta fuerunt, petitionem suam fundaverunt Actores; & in quo se fundaverunt, probatione & sic effectu obtinendi, distituuntur, l. Qui accusare c. de eden.

De Emptione & Venditione.

SUMMARY.

Pretij non soluti usurae.

1. Venditor de evictione non tenetur nisi evictione sequuta.
2. Evictionis nomine quo modo caveatur.
3. Vendita rei oblatio; recusante emptore recipere, sufficit.
4. Hypotheca generalis minus efficax est quam specialis.
5. Sententia pro parte impugnari potest.
6. Appellatio utrique parti communis est.
7. Pretij non soluti quales usura praestanda sint.
8. Usuras quas mercator vel alius non mercator percipere possit.
9. Usura centesima mercatoribus permittitur.

CONSILIUM CCCX.

In duobus principaliter consistit difficultas, quae incidit in lite, quae est inter Bartholomeum van Welet Actorem, & Ioannem Meys Reum; quaeque semel terminata per sententiam, nunc coram magnificis eximisque Dominis Commissariis appellationum, ad quos dictus Ioannes provocavit, adhuc pendet. Reiectis etenim alijs, quae in magna verborum allegationeque accumulatione (qua Reus ad tenebras causae offendendum in utraque instantia usus est) superflua sunt, causaeque statum non contingunt, de duobus potissimum quaritur. Prius est, an ideo cessionem in iure seu oblatas legis operas, quoad traditionem venditarum adium Reus emptor recte recuset, & pretij solvere differat, quod maioribus oneribus obnoxia dicantur aedes, quam actor Venditor in venditione edixit. Alterum est, an Actor recte latam sententiam oppugnet, ac reformari petat ea in parte, qua illi pro interesse non soluti pretij adjudicatum dumtaxat est interusurium ad rationem quinquenarium usurarium, hoc est ad ratam vigesimi nummi annuatim pro sorte, seu capituli. Quibus duobus resolutis, caetera, quae in causam incurrunt, difficultatem non habent.

In priore articulo totius processus series evidenter demonstrat, Reum magno subterfugendi studio ad ejus generis exceptiones confugere;